

singulos. Nam si omnibus hominibus, qui ubique sunt, quacumque in ora ac parte terrarum, ab hujusce terrae, quam nos incolimus, continuatione distantium, deos consulere censemus ob eas causas, quas ante diximus; his quoque hominibus consulunt, qui has nobiscum terras ab oriente ad occidentem colunt. Sin autem consulunt iis, qui quasi quandam magnam insulam incolunt, quam nos orbem terrae vocamus: etiam illis consulunt, qui partes ejus insulae tenent, Europam, Asiam, Africam. Ergo et earum partes diligunt, ut Romam, Athenas, Spartam, Rhodum: et earum urbium separatim ab universis singulos diligunt, ut Pyrrhi bello Curium, Fabricium, Coruncanium; primo Punico Calatinum, Duillium, Metellum, Lutatium; secundo Maximum, Marcellum, Africanum; post hos, Paulum, Gracchum, Catonem, patrumve memoria Scipionem, Laelium; multosque praeterea, et nostra civitas, et Graecia tulit singulares viros, quorum neminem, nisi juvante deo, talem fuisse credendum est. Quae ratio poetas, maximeque Homerum, impulit, ut principibus heroum, Ulixi, Diomedis, Agamemnoni, Achilli, certos deos, discriminum et periculorum comites, adjungeret. Praeterea ipsorum deorum saepe praesentiae, quales supra commemoravi, declarant, ab his et civitatibus, et singulis hominibus consuli. Quod quidem intelligitur etiam significationibus rerum futurarum, quae tum dormientibus, tum vigilantibus portenduntur. Multa praeterea ostentis, multa extis admonemur, multisque rebus aliis: quas diuturnus usus ita notavit, ut artem divinationis efficeret. Nemo igitur vir magnus sine aliquo afflatu divino umquam fuit. Nec vero id ita refellendum est, ut, si segetibus vel vinetis cujuspiam tempestas nocuerit, aut si quid e vitae commodis casus abstulerit, eum, cui quid horum acciderit, aut invisum deo, aut neglectum a deo judicemus.

Cap. LXVII. Haec mihi fere in mentem veniebant, quae dicenda putarem de natura deorum. Tu autem Cotta,